



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

1. Decretum hoc pro futuritione conditionata inutiliter & inconsequenter ab eius authoribus inducitur, pauculis nec notæ primæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

conexionis (quam essentia sua intrinsece respiciunt, quia essentia sua non a se sed ab alio possibilia, & entia sunt) dependent, illumque proinde prioritate maioris vniuersalitatis, & necessitatis supponant, vt controu. 1. ostendimus; tamen eorum possibilitas, ac non repugnantia ab omnipotentia absolute non ponitur, & causatur, sed sola eorum existentia: circa quam solam omnipotentia suam potest exercere causalitatem: quin, vt ad possibilia Dei omnipotentia, vt eorum formaliter omnipotentia, absolute comparatur, eorum intrinsecam non repugnantiam, seu possibilitatem expectat: vti de præsentia Dei, qua præsentia futuri realiter formaliter absolute est, huius futuritionem supponere, & expectare nuper docebamur: solum ergo in futuris conditionatis, & absolutis locum præsens disputatio habet: & in conditionatis quidem à quoniam eorum futuritio ponatur: an à decreto absoluto ex parte actus, conditionato vero ex parte obiecti? Nam de conditionato omnino, tam ex parte actus, quam obiecti, quod in hypothese ponatur, eadem est, ac de decreto omnino absoluto circa absolute futurum contingens, Deinde concursus ad illam difficultas ac circa futurum absolutum, cuiusque absolutam futuritionem, Tria examinanda sunt. An à decreto absoluto de eius futuritione causetur, & apponatur? Secundo: quali Dei decreto concurrenti cuiusmodi futurum absolute existat: de quo controu. 3. Tercio: an, vt sub diuino conspectu talis, atqueque à diuina scientia possit, præter temporariam in sua mensura, præsentiam, in Dei æternitate, & ex æternitate realem aliam habere debeat.

QVÆSTIO I.

An decretum subiectiue absolutum, & obiectiue conditionatum sit medium materiale scientiæ Dei, de conditionatis contingentibus futuris?

EX dictis disputationis præfatione constat titulum quæstionis tantumdem valere, atque communem illum: an ad futuritionem conditionatis tam contingentis decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti requiratur? quæ in re vixit solum nobis cum iunioribus Dominicanis Thomistis controuersa est. An conditionata futuritio decreto cuiusmodi tanquam efficienti principio ipsam apponere opus habeat? cum tamen cum eorum nonnullis quæstio alia esse possit. An eo decreto tanquam formali conditionate futuritionis constitutiuo conditionata egeant futura? vti de decreto omnino absoluto. Viues cum aliquibus à nobis confutatus d. 5. qu. 4. cert. 1. respectu futuritionis absolute philosophabatur: verum ex datis tibi, & vniuersim, & ad hominem contra hosce impugnatores, qui in re præfenti similiter discurrat, confutari facile poterit: quare nunc eius in re præfenti opinionis, consuetudine iure abstinemus. Maxime cum pleraque ex nunc contra efficientis eius principij necessitatem contra formalem eiusdem indigentiam militent aequè.

CERTAMEN I.

Decretum hoc pro futuritione conditionata inutiliter & inconsequenter ab eius Authoribus inducitur, pauculis nec nota prima?

Pro negatiua Sententia hac nostra nostros omnes Doctores vno verbo recensito: siquidem ad futuritionis

tionis conditionata contingentium appositionem, nullo dempro, eius decreti necessitatem non negant modo, sed exhorrent: sicuti ad eorum futuritionem absolutam omnino absolutum decretum exerceantur. Pro affirmatiua vero ad rem præfentem sententia ex suis plures Viues d. 2. mala fide, quasi à nobis bona accipiendos, dedit: eos in primis, qui eiusmodi conditionatorum scientiam omnino negasse, vel coniecturalem, & probabilem solum in Deo admittere, & obiecti, vel solum conditionata iuniorum suorum decreta acriter impugnasse retulimus d. 5. sed ille quæst. 2. sect. 1. vniuersim pro eis decretis Thomistas omnes Dominicanos recenset & d. 19. quæst. 2. §. 2. ex eis nominatis quinquagenarium numerum explet. Tamen, vt veteres omitteret, satis haberet, si hæc legisset in suo Aluarez 1. responson, cap. 5. num. 26. *Scholastici antiqui nihil omnino de scientia sub conditione disputarunt, aut meminerunt: unde non mirum quod nullam fecerint mentionem diuini decreti conditionati, in quo insalubritas futurorum conditionatorum innuitur: satis etiam foret legisse Ledesnam d. de scient. futuror. conting. fol. 522. col. 1. concl. 2. sic fatum. Prima sententia iuxta secundum modum (cognitionis diuinæ de contingentibus conditionatis in decreto obiectiue solum conditionato) declarata est falsa, & improbabilis. Hanc conclusionem docent omnes auctores secunda sententia, & præcipue omnes illi, qui sequuntur doctrinam Diui Thomæ, & num. sequenti eiusmodi decretum Deo negat, vti illi repugnans, satis item foret si Soarium legisset, vel certe non simulato, aut dissimulato recitasset omnes Thomistas pro eis decretis allegantem Prolegom. 2. de gratia c. 1. numer. 5. vbi loquitur de Recentioribus Aluarez, Ledesna Cabeceo, Ripa, & Berdu assentientibus, non quidem cognoscei conditionata futura contingentia in eis decretis, quod eorum plerique negant, cum certam eorum Deo denegent, vt vidimus, cognitionem; sed solum, si certo à Deo cognoscerentur in eis decretis cognoscenda fore: sed nec ratio, qua suam generalem Thomistarum Dominicanorum omnium allegationem confirmat Viues num. 10. (quia stant omnes pro omnino absolutis decretis ad futuritionem absolutam) quidquam probat: sed potius pro obiectiue solum conditionatis ad conditionatam futuritionem stare eorum nullum, qui consequentia vim non ignoraret, aut remitteret, vt cert. 2. ostendimus: interim micro (quod contr. 3. monstrabo) maiorem potioreque Thomistarum partem decreta absoluta pro absoluta contingentis futuritione, cum stomacho etiam receisse.*

2. Ex eis vero, quos nominatim pro se citat Viues, scilicet Ledesnam, Nauarrete, Ripam, Cabeceo, vel eo falsitatis conuincitur: quod ij omnes, vel certam de futuris conditionatis scientiam denegent vt nuper dicebamus, & fuse ostendimus citata d. 5. quæst. 1. cert. 2. Ledesma, vbi proximè, eiusmodi decreta infectatur: Blasius autem Berdu ex opusculo de auxiliis citatur, vbi de eis decretis nihil nisi, quod numero 12. oppositum asserit: *Deum scilicet nosse peccata, in quæ homo laberetur, & diutius viveret, absque, & ante vllum actuale decretum.* Et Relect controu. Scient. med. §. 3. contingentium conditionatorum scientiam, (si forte Deo desert) naturalem illam solum, & ante omne actuale decretum concedit; atque aliter sentiens in scyllam incidere, cupientes vitare charybdim ait, concluditque: *itaque non est admittendum istud decretum conditionatum: vixit in perfectissima libertate diuina otiosum.* Tercio citatur falso Sanctus Vincentius Ferrar. ex hoc, quæ nihil de eiusmodi decretis adhuc sonant: quarto citatur falso ab eodem Capreolus qui primus nihil futurum à Deo cognoscei posse, nisi ratione præfentis in æternitate, & ex æternitate etiam reputat probabile: cum autem nulla futura conditionata secundum eius futuritionis statum præfentiam in æternitate vllam, nedum ex æternitate, habeant: pleraque autem eorum (quæ scilicet futura absolute non sunt) eam pro nullo statu sint habitura, consequens in Capreolo est à Deo nullatenus cognoscei, vt aiebat Zumel relatus d. 5. quæst. 2. cert. 2. conferque Aluarez de Capreolo 2. de auxiliis d. 10. num. 1. idem ob eandem rationem censet de Francisco à Christo Palacios, & de Caietano eius præfentiatatis aperto defensore censere omnes debemus: citau

citantur 5. à Viues, haud fide meliori, Cabrera, & Zumel. Hic enim 1. p. qu. 14. art. 13. d. 8. concl. 3. de respondentibus Deum nosse conditionata contingentia, quæ absolute nec erunt nec decreuit, quia decreuit sub conditione fore, inquit: *Ridicula sane responsio qua Deum imperfectum reddidit*: ille verò 3. q. qu. 1. art. 3. d. 2. §. 22. *Responsio friuola, & in Deo imperfectionem inducens*. Petior ab eodem fide refertur Ioannes Driedo, qui à Deo pro opposito apertus est, ut illum nobis absque lite donent ex aduersariis Bañez 1. p. quæst. 23. art. 3. *Secundus sensus* Zumel 1. p. t. 2. quæst. 11. art. 3. d. 1. dub. 1. appendice 1. inir. Cab. 3. p. t. 3. qu. 62. art. 1. d. 8. §. 2. Ledesma de auxiliis proposit. Fundam. quæst. pag. 7. §. *Ex hac sententia* & art. 10. pag. 189. §. *in hac difficultate* art. 13. pag. 273. §. *Inter Catholicos*.

3. Fallo item pro eorum decretorum necessitate ad contingentium conditionatam futuritionem Ruardus Sapper Driedonis discipulus, & hac in re sequax, ut patet ex lib. de libero arbitrio art. 7. pag. 309. idcirco nobis sponte donatus à Ledesma supra Aluarez 1. respons. cap. 1. num. 30. §. *quod dictum est*, sed & falso citatur Stapleton pro nobis expressus. Antidotis in Epistolam ad Rom. cap. 9. vers. 11. §. *Deum altitudine intellectus sui*, ubi Scientiam Dei de conditionatis contingentibus soli nostro bono viui auxiliorum, si darentur, iuncti, omneque Dei beneplacitum, & prædestinationem antecurrere, ut consonat ubique sibi in Antidotis Euangelicis ad 11. Marth. vers. 12. in acta Apost. cap. 9. vers. 6. in Ioan. 15. v. g. in promptuario Cathol. fer. 6. prima hebdomada, quadrag. vers. 2. Refertur falso Cuenus Episcopus. Leonard. ut patet ex eius tract. de lib. arbit. cap. 9. ubi omnia Scientiæ mediæ fundamenta posuit, omneque principium determinans ex parte causæ futuri contingentis seruetur excludit eadem falsitate citatur Lorca ab Aluarez, & Viues: cum rom. 1. in 3. p. quæst. 1. art. 3. d. 10. m. 2. num. 26. & 27. ad id Sabot. Thom. ad 4. quod prædestinationis supponit præscientiam, ex eius, luate sententia docet præscientiam prædestinationi suppositam esse conditionatam futurorum contingentium conditionatam, & mediam, citatur etiam falso Curiel, qui, etsi 3. p. quæst. 11. art. 5. aduersariis iniuri accesserit, Senior tamen, & maturior eo retractato nobis omnino consensit contr. 7. vel 5. in 4. Sap. art. 4. num. 1. contr. 2. in 1. Epist. c. 2. Petri ad id *Sargite, ut per bona opera, &c.* à num. 208. Neque fidelitatem maiore citatur Basilius Legionensis, quasi Scientiæ mediæ eruditionem propugnata, retractari: quod etiam de Corneio Augustiniano falso item refertur: etenim eis, & Magistro Antolinez, Augustiniano etiam, pro nobis relatis eorum in primaria Theologia Salamantina Cathedra Successor Magister Angelus Manrique scite apud nostrum Henao ventilat. 3. num. 19. siue controu. 25. cap. 4. num. 8. dixit de retractione nobis non constare, de sententia non licet dubitare. Pro hac ergo quam Thomisticam clamant aduersarii nuperi sententia, nec ex Dominicis, nec ex affectis exteris, siue Recentioribus omnes sterere, sed pauciores, neque primores: & (quod miraculi, & stuporis plenum est) Viues ipse acerrimus obiectiue tantum conditionatorum decretorum vindex, & recens assertor, aliquot satis tritis, mox iam pro nostra sententia subiciendis conuictus d. 2. num. 31. ait: neminem dubitasse futura conditionata infallibiliter connexa cum conditione sub ea fore à Deo cognosci ante omne actuale Dei decretum eaque de re conclusionem statuit num. 33. Cuius conclusionis limitatores Thomistas, tanquam irracionales, infectatur num. 35. sed, quam rationalis consecutionis ipse sit, videri facile potest, qui ante actuale decretum obiectiue conditionatum nullum conditionatum contingens fore conditionate omnino contendit; & tamen nunc fore ante illud, & à Deo cognosci docet: scilicet, antequam conditionate sit futurum siquidem iuxta generalem eius doctrinam, non, nisi à decreto ipso actuali conditionato obiectiue, habet contingens illud conditionatam futuritionem: & hæc tenus de Doctoribus mala fide pro decretis hæc recitat.

4. Iam, quam inuoluerit Thomista aliquot eiusmodi decreta pro sua doctrina induxerint, vel inde in primis constat: quia admissa intrinseca auxilij, siue physica

prædeterminationis efficacia, & connexione eius absolute positi cum absolute futuro contingenti, sicuti, & decreti omnino absolute prædeterminatiui (illata tamen, ut iidem Thomistæ volunt eius futuri contingentia & libertate) Scientia conditionatorum contingentium, quæ media sit, euerteretur: quia his solum in hypothese positis nulloque alio decreto absolute ex parte actus de futuritione conditionata contingentis, necessaria, & infallibilis ab hypothese ad contingens sub ea futurum consecutio erit: ad quam consecutionis infallibilitatem, & necessitatem decreta hæc obiectiue solum conditionata commenti Thomistæ præfati sunt: etenim, in eorum doctrina, ita necessario prædeterminatio, & decretum prædeterminatiui consensui connectitur, ut alterum ab altero repugnet diuelli: atque, atque ab igne applicato ad lignum, calorem in hoc non induci repugnet: aut à causa quauis naturali cum omnibus requisitis ad operandum non produci effectum: ergo aqua est necessaria, vel infallibilis illationis à prædeterminatione, & decreto prædeterminatiui tuo ad consensum atque à causa quauis naturali cum omnibus ex parte causæ requisitis ad operandum ad effectum: etsi, quia benigna illa, & arbitrij indifferentiæ attemperata & operis libertatem respicientia, (ut ais), nec indifferentiæ arbitrij, nec operis contingentis, & libertati efficiant: ergo aquæ pertinet in tua doctrina ad scientiam simplicis intelligentiæ futuritio consensui liberi conditionata sub hypothese tui decreti prædeterminatiui, & prædeterminationis ad illud, atque futuritio conditionata caloris ab igne applicato, secluso utrobique decreto omni actuali de conditionata alterutius futuritione. Imò positis in hypothese decreto prædeterminatiui, & prædeterminatione consensui liberi, ut liberi (tuis verbis, & doctrina utro) infallibilior necessariusque (ut sic loquar) est consensui liberi conditionata futuritio, quam caloris alterutius naturalis effectus sub hypothese siue naturalis causæ applicatæ ad opus, cum ita applicata concursum ad opus, solum exigat à Deo, qui eius exigentia potest non annuere, ut de facto ignis Babilonici exigentia non annuit.

5. Idipsum de contingenti, & libera negationis consensui, sub hypothese negationis decreti prædeterminatiui, & physice prædeterminationis, conditionata futuritione facile discursu simili demonstratur. Nec video quid huic argumento responderi possit, præter repugnantiam hypothese Thomisticæ cum consensui contingentia, & libertate mihi certam, & inuitabilem: sed verò discursus nostri vitium hoc non est, sed doctrina Thomistica ad ipsum nunc permixta, ac supposita: & ex qua legitime procedit. Confirmatur: quia addito decreto hoc solum ex parte obiecti conditionato de futuritione conditionata consensui sub hypothese decreti prædeterminatiui, & prædeterminationis ad ipsum non inferitur maiori necessitate, & infallibilitate conditionata eius futuritio, quam ex hypothese præfata Thomistica: & tamen huius necessitatem illationis ab hoc decreto ad consensum scientiam de huius conditionata futuritione mediam effugant, atque vel ad simplicem intelligentiam ut plurimum, vel ad visionem reuocant: ergo. Urgetur: quia negationis consensui conditionata futuritio sub hypothese si negationis decreti prædeterminatiui, & prædeterminationis ad illum præcisè atque prorsus necessario, & infallibiliter inferitur, atque addito decreto de eius negationis conditionata futuritione sub conditione negationis decreti prædeterminatiui, & prædeterminationis ad consensum: siquidem utrumque principia, vel, si mauis, conditiones essentielles sunt ad consensum per hocce: quare alterius, nedum utriusque, defectu, & negatione supposita siue posita in hypothese, negatio consensui sub illa omnino necessaria est, & consensui prorsus impossibilis: quid ergo huic impossibilitati sub ea hypothese, vel eius negatione, necessitatis, ut sub illa sit, & inferatur, vel decreti actualis denegationis consensui sub eadem hypothese futura, vel negatio (si malueris consequentius) decreti de futuritione consensui sub hypothese eadem superaddet?

6. Porro eo discursu eorundem iuniorum Thomistarum inconsequentias deprehendes. Positis enim absolute, decreto prædeterminatiui, & prædeterminationis consensui

consensus liber, necessario tamen, atque infallibiliter tunc actu, & de præfenti absolute per eodem est: ergo eis tantum positis in hypothesei idem concursus sub illis conditionate erit per eodem; si consequentia habeatur ratio. Probatur consequentia quia quicquid absolute possum inferre absolute, & de præfenti necessario, & infallibiliter aliud, possum sub conditione inferre necessario, & infallibiliter fore conditionate sub ipso; alioqui, si sub eius hypothesei conditionate non erit necessario, & infallibiliter, neque eo absolute & de præfenti posito necessario, & infallibiliter absolute erit inferre actu, & de præfenti: est quippe ab existentia absolute effectus à causa absolute existente, ad existentiam, seu futuritionem conditionatam illius sub eadem causa in hypothesei posita & contra mutua, & inevitabilis consequentia: cui veritati innuitur explorata apud omnes bonitas syllogismorum omnium conditionalium in quibus ex vera, & admilla propositione conditionali pro maiore; & purificata conditione pro minore, certo, & infallibiliter inferatur absolute existentia effectus, qui in maiore fore conditionaliter dicebatur. Atque id quidem uniuersum absque vlla exceptione, & in materia omni verissimum & statum apud Dialecticos est. Confirmatur in syllogismo conditionalibus materiae necessariae causarum necessarium, seu naturalium, ad suorum naturalium effectuum, & necessarium existentiam: in quibus purificata conditione in minore, sub qua effectus necessario futurus in maiore dicebatur, recte inferatur effectum absolute, necessariumque existeret, atque ideo aduersarij ad conditionatam futuritionem effectus naturalis, & necessarij à naturali causa, decreto actuali de illa abstinere: est autem connexio, & necessitas maior consensus absolute à prædeterminatione decreto, & prædeterminatione absolute: ergo ex præfinitione (& idem est, de physica prædeterminatione) Dominicanorum, seu Thomistarum iuniorum posita in hypothesei absque vilo actuali decreto, necessario erit consensus (liber etiam, ut hi volunt) conditionate: & certo, ac infallibiliter à Deo iuxta eorum principia cognoscetur.

7. Minor probatur: quia connexio causæ physice necessario operantis, ac de se determinata ad suum effectum, solum est connexio physica cum illo fundata in indigentia diuini concursus, quam ratione determinationis suæ ad causandum exigit à Deo, cum autem eiusmodi exigentia possit pro suo absolute arbitrio, dominio, & potestate Deus non annuere (viti igni Babylonico non annuit) solum est in causa eiusmodi naturalis, & necessaria in hypothesei ad effectum sub illa conditionate futurum connexio physica, & naturalis, atque conditionata sub illa necessitate naturalis, & physica, non autem, metaphysica etiam necessitas, & certitudo; quæ tamen ex præfinitione, & prædeterminatione physica ad consensum liberum, etiam vtiliter (ut iuniores Thomistæ volunt) omnino est: quod si dicas non solum causam naturalem poni in hypothesei, sed decretum etiam Dei concurrenti cum illa, æqua quidem erit necessitas effectus; & connexio conditionis, seu principij adæquari posset cum illo: at, cum æque necessarius sit liber consensus ex præfinitione, ac prædeterminatione, ac reliquis principijs suis, si hæc omnia in hypothesei ponantur, æque necessario, & infallibiliter erit conditionate consensus idem liber, atque sub hypothesei decreti, & causæ naturalis erit necessarius, & naturalis effectus absolute vilo ex parte actus absolute decreto in Thomistarum iuniorum principijs: quod est huiusce confirmationis interitum.

8. Tertiò inconsequenter Thomistæ iuniores decretum hoc absolute ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti ad futuritionis contingentis conditionate constantiam, & existentiam inducunt: ipsi enim ad malitiam formalem peccati pro statu absolute ipsius, necesse absolute ex parte actus decretum omnino reiciunt; licet ad materiale peccati non satis bona, ut ostendunt, consequentia efficax Dei decretum, & præfinitionemque demum ea sita sita est futurum contingens sub hypothesei præfinitionis de materiali peccati, vel, si

Christoph. de Ortega, De Deo Uno, Tomus I.

malunt, etiam ex præfinitione absolute ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti de materiali eodem peccati: ergo contingens conditionatum cuiusque conditionata futuritio contingens in horum doctrina absque vilo decreto sui, vel præfinitione diuina absolute ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti constare, ad suo modo potest existeret. Quod si dicant, ut inconsequentiam erit manifestam, Deum absolute ex parte actus conditionatam formalem malitiam peccati præfinitione: & suam doctrinam deferent, atque rationi, & fidei aduersantur: est enim Deus ob solum conditionate existentia peccata, quæ peccata etiam formaliter, ut in eo statu præfinit, nondumque ad absolutam eorum existentiam deducta non puniatur; at cum purificata conditione præfinitio Dei conditionata ex parte obiecti, vel seipsa, vel alia, quam de eodem obiecto necessario inferret, transeat in absolutam: absolutam omnino præfinitionem formalem malitiae absolute peccati, ob quam Deus punit, atque, ob quam solum hæreticum fuisse Caluinium & sequaces à sua Thomistica diuersos, fidem facerent, admittere coguntur. Rationi insuper aduersantur, si id dicant. Quid enim à ratione magis alienum, quam malitiae formalis absolute existentie decretum Dei absolute ex parte actus de negare, & solum conditionatæ, suspensæ, & sub hypothesei malitiae eiusdem existentie, seu futuritioni, decretum Dei ex parte actus absolute concedere: cum cuiusvis absolute existentia Dei nutu, & decreto in primis, & explorato egeat; secus autem existentia eiusdem conditionata, quæ absolute talis non est, sed solum esset, si conditio apponeretur?

9. Si dicant rursus formalem peccati malitiam necessario, & inevitabiliter, etiam à Deo, materiale peccati consequi debere: quare decreto absolute ex parte actus ad futuritionem conditionatam sui minime egeret: bene quidem, ac vere dicent; sed dabitur hæc solutio hoc totum, quod intenditur: nempe posita in hypothesei conditione, & causa, seu principio, ex quo absolute posito liber consensus, & contingens necessario absolute erit, satis in eorum doctrina esse, ut ille idem consensus, contingens, & liber sub conditione sit, quin decreto vilo absolute ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti opus habeat. Quod si tandem dicant formale, siue malitiam peccati, quid rationis esse: quare ab huius conditionate existentia ad existentiam realis contingentis futuri independentem à decreto absolute ex parte actus consequentiam non esse: cum id solum quod reale est à Deo, cuiusque decreto pendere possit: locus autem, quod est pure rationis: facile impugnantur; quia non agimus de malitia formali pure rationis & ficta, sed vera, & reali: & ob quam damnantur, & puniuntur peccatores. Secundo loquimur de malitia formali, quæ necessario consequitur materiale peccati cum ipsa connexum, independentem prorsus ab omni intellectus cognitione; à qua tamen quicquid pure rationis figmentum est, omnino ac necessario dependet: quare locum eiusmodi solutio non habet.

CERTAMEN II.

Decreti huius impugnatores.

1. Decreta eiusmodi ad contingentium conditionatam futuritionem apponendam reiciunt in primis omnes nostri Iesuitæ Doctores; est enim Ioannes Martínez de Prado Dominican. pro eis falso recitet in Controversiis metaphysicis p. controu. 12. ar. 3. §. 3. num. 45. Nostros Henriquez Pereiram, Azorium, Michaellem Marcos, Ferdinandum Bastida Tolerum, & Bellarminum; eos tamen ab hac impostura aperte vindicant Paulus, Leonardus, p. sect. 15. Fasol. 1. p. qu. 14. art. 13. num. 184. Henao uentilatione 5. Borrius. defens. Scient. med. d. 5. à sect. 4. & ex citandis eorum doctorum locis statim impostura clarebit. Omnes igitur Iesuitæ nostri Doctores eis decretis aduersantur. Primus, etiam ante Molinam, omnes connexum cum consensu & huic naturæ præcedens, uti eius libertas aduersum

Qo